




De artibus liberalibus oratio

<https://hdl.handle.net/1874/429978>

See

3



DE ARTI
BVS LIBERA
LIBVS ORATIO A
Philippo Melanchtho
ne Tubingæ habita.

Σ Χάριστος ὁ Κουρῆσιος
 ΔΕΥΤΕ ΝΕΟΙ ΑΣΠΙΔΟΦΟΡΟΙ, ΚΑΙ ΤΑΥΤΑ
 ΠΥΘΕΤΕ
 ΠΥΓΝΙΑ ΤῶΝ ΜΟΥΣΩΝ. ὁ ἄλκις ἔστιν ἄγιον

SEGREGIA VIRTUTE VIRO
IOANNI STOFFLER IV
Tūbingensi Mathematicum professori
Philippus Melanchthon S. D.

Sermonem de liberalibus Artibus habui nuper uir
clariss. pro more istorum qui in philosophorū scho
lis rhetoricantur, eum dicare uisum est tibi, cū q̄ eiusce
modi sit argumentum, quod adserere nomini ipse tuo
iure queas, tum q̄ hoc munere pietatem tibi meam pro
bare contendam. Etenim debeo humanitati tuæ, non
quantum agnosco, sed quantum agnosse me cupio. Cu
pio autem quantum decet. Iam quæ te non decent oīm
insignia laudum, qui tot annos, tanto studio mathe
maticum abstrusa recludis, qui tanto studiosos omneis,
atq̄ adeo me, fauore complecti, eoque ceu stimulo ad glo
riam excitare soles. Id quod sensi tacitus, cum interpre
tandi Arati munere nos onerares. Nihil ardentius, ni
hil maiore uoluptate unquam cœpi, & spero rem casu
ram nō infelicitè, modo tu adspires porro. Vertimus
aliquantum operis latino carmine, neq̄ uero quo uete
res modo, qui imitati potius q̄ interpretati uidentur. Tu
interim, dum illud absolutum fuerit, hanc habe oraciu
culam officiosi animi testem. Fortasse lautiozem uoles,
& magis elegantem, sed fieri nequibat, is est rerum acer
uus, breuibus confudi plurima, & uereor ne non deco
ra sit uarietas, perinde atq̄ id est quod Lucianus ait,
κάμηλος ἐν αἰγῆσιον. Vale. Tubingæ.

EGREGIVS animi uir Plato Athenæus & sapien
tæ nomine uenerabilis in disertatione quam Erastus
seu de philosophia inscripsit, Socraten ait ingressum in
Dionysi grammatici, spectasse illic genis elegantissimis
nobiles pueros, & ex iis forte duos ultro ac citro conten
dentes. Esse quædam de Anaxagoræ uel Oenopide sci
tis controuersa uidebantur. Sic enim in ludo illi orbes
pingere, flexuras ductare, uersilibus punctis finire, & ar
tifici manu uariegatas undiq; lineolas imitariet. Hæc
uti solebat, penito contemplatus animo senex, cuidam e
familiaribus puerorum adsedit, blande illum officio cur
biti admonitum scitatus. Quid hoc? quod meditentur
adulescentes tanto studio & cura. Num honestum, ac
magnum? Continuo iste, nugari, nescio quæ, cognitu
sublimia & quasdam philosophias garrire. Socrates cõ
tra impudentiam demiratus hominis, contatur, num er
go turpe ducat id quod agit iuuetus philosophari. Ade
rat ibi quispiã non malus uir, is improbe dolens respon
sum Socrati, et autoritate tanta uiro, & de sapientiæ stu
diis modesta roganti, commodum interuenit, Socrati
ait, mittendum hominem sordidum, squalentibus obru
tum uoluptatibus, & indignum plane, quoi cum philoso
phiæ disputatio comunicetur. Prudenter ille quidem
non ad omneis pertinere sacrosanctam rem, sapientiam
arbitratus, ἀμύνητον iure solennium interdixit. Idem ego
prope modum acturus, num ardua res, num pulchra,
num laudanda philosophia, eos mihi auditores dari cur

2
pio, quorum ita sint affectæ mentes, ut sponte orantem
sequi certet. Si quis ea barbarie, ea immanitate, ut splen-
dore ac pulchritudine sapientiæ trahi non possit, iam re-
legatus esto, iam quasq; cyclâdas aut gyaros malis, quã
ardentis philosophiæ uultus. Neq; uero hic facundia lu-
ditur peregrina ferrugo, neq; fastus ingenii. Ipsa sese
res genuina facie bonis mētibus probare solet. Quo fit
ut & aperta magis ac simplex mea sit futura oratio, artes
primū dependemus administras philosophiæ. Dein illā
ipsam quoq; si uisum fuerit, quæ maius aliquid comuni
hominum sensu spirans, caput inter nubila condit. Ea
est uox dæmonii. Omnem isthunc locū, opinor & hoc
anno, mense Iulio cōcione quadam à nobis explicatum
cognostis. Hoc tum erat studio, cum è suis fontibus de-
riuarer artes, ut animi naturæ ostēderem insita earū ini-
tia, scilicet hanc facē prima lux & quintegra mentibus hu-
manis scenerat. Dein ut iperiti naturæ iudices, ut abhor-
rentes à ueterum historiis qui unam gentem, aut unum
fortasse Marsyan, primiciis artium dignantur. Nam ut
eadem gētibus omnibus, atq; adeo omni cœlo æqui bo-
niq; ratio, iidem iusti fontes, sic eadem ubiq; naturæ sci-
entia, modo par studium accedat, & ut in summa dicam,
rex Iupiter oībus idem. Grandia hæc tum nec ἀνεοδόνως
ei loco. Sed exporrigo frontem adulescentiæ dicturus.
Quædam iucundiora, quædam etiam clariora priori-
bus feram in medium. At interim, si quid ab humanita-
te uestra optimi uiri pietas mea, uel à uobis adulescenti

tes nunquam non officiosa uoluntas emereri po
test, Quæso non solo argumenti nomine,
uerum & mea ipsius caussa pari cum
cæteris oratoribus uestris loco
pari gratiã habere.

CONSTANS ET VETVSTA FA
ma est, natum Ioue Mercurium, quom ad Aegy
pti flumina puer à Nymphis aleretur, ut erat indoles fe
stiuã, per lusum iocum que solitum pleraque commen
tari. deas uafricie fallere nouas artes, noua opera miran
da posteris effingere. Eximia est quæ gentibus inde ali
quot inter sacra fuit lyra, id enim fabulis callido nomen
inuento proditur. Factam aiunt è concha quam forte
fortuna iam in sicco destituerat Nilus in alueum regres
sus, Testudinem uocant notiori uocabulo. Festiuum
profecto naturæ opus. Oblongula est, ut reliqua tace
am, & capite quasi in orbem sinuato, ac ob id apta ma
nibus habendo. Quod cum in ripa ludens puer obser
uasset utilem ratus Ostraci figuram, adit propius, ari
dam cædit, sonat ea, & nescio quid blandius. Statim de
us arripit lætabundus, bene pulchræ rei sperans, pellem
neruo culmis infigit, chordas adstruit septem, intendit
Chely, experitur cantu organon *αὐτὸν ἑδὴ* miratur, in
terque manus & brachia uersat, placetque iam non au
tori tantum, sed ipsis etiam diis nutricibus. Coepit esse
laudatum & selectis numinibus. Donatur Apollini,
A iiii.

ne clongo post tempore Phœbus operam nauans ho-
minum gratiæ, Chelyn dedit Orpheo muneri. Fuit ἐπέ-
χορδος, Homero ac Pindaro magnis testibus, dum Or-
pheus Calliopæ studio de Musarum numero duas adii-
ceret resticulas. Post Orphei fata, aiunt alii ad Musæum
gnatum uenisse, alii fatidicam in Lesbon delatam, atq̃
inde à Terpandro in ægyptum patriam, gratissima mu-
nera diuinorum consciis sacerdotibus. Ibi esse cœpit
Aegypto sacra, quam plæræq̃ secutæ nationes itidem
coluere Mercurii chelyn. Nomen inde factum syderi,
Lyra, quo res ætati posteræ foret augustior. Hæc est
Lyre celebrata nobilitas tot gentibus tot literis. Quor-
sum uero hæc? quid de una sibi tantum lyra placet anti-
quitas. Quæso mihi paulisper aurem commodate rem
explicabo non uanus. Poetica mythos uno eodemq̃ iu-
cundo inuoluchro, & populari quidem, primas artium
origines, primos q̃ autores tenet. Mercurius loue na-
tus, louis mens habetur iis qui ueteris philosophiæ peri-
ti sunt. Lyram de testudine, non falsa mundi imagine, sic
in re parua lusit natura, *πλωδίου δελον* fecit, chordis orna-
uit septem. Est enim ille sacer habitus numerus, septem
hæ sunt artes, ut agā historica fide, supera defluxæ men-
te, quibus omnis naturæ scientia comprehenditur. Iam
& præfides Musæ totidem, quæ duæ reliquæ septeno
choro ius omnium sibi uendicant. Ecce dei manu fabre-
factam lyram. Ecce deum munus, Artes. Mihi uero iam
de naturæ scientia, non dæmonii uoce res est, puto quæ

nostris ingeniis propria, rationis usu contingit. Ea est in
oratione partim, partim in rebus. Scientia rerum prior,
sed nos uulgari more dicemus. Quæ ad sermonem spe-
ctant, ingeniorum puerilium exercendi habentur initia.
Grammatica prima, cui quoniam elemēta literarum de-
bemus, nulla ex parte non est necessaria, quid enim atti-
net longius immorari palam concessæ rei quā utile mor-
talibus repertum literæ, ^{et} ^{ob} ^{seru} memoriæ custodes, po-
pularis regulæ sermonis, ut mittam cetera. Huic accedit
proxima Dialectica, subtilis differendi ratio, nam id indi-
cat nomen literaturæ comes, complexa quidquid hoc
omne, quo se aliqua uis effert ingenii. ac si licet hoc au-
dacius paulo sola mihi omniū mater artium haberi pos-
se uideatur. Tautum abest, ut dignum docto spires, ut pe-
ctus ad sapientiam formare quouis modo queas, si diale-
cticon politias, uanissime omnium, quisquis es contem-
pseris. Neque enim ille mercium pater Oceanus tantum
opum, tantum diuitiarum orbi conuehit uniuerso, quan-
tum artium una Cyclopædeia, dialectica. Et attingerem
ex iis aliquot, ni passim id sonarent scholæ, at si uultis ta-
men, ostendam usui fuisse uel summis ingeniis. Vir ani-
mi sagax Aristoteles, ut hunc nominem, in quem opinio
hominum consentiens multis iam seculis conspirauit.
Quæso quid præstat ubique uel aptius, uel eruditius dia-
lectica, potestque illa quasi delphico gladio, ut omniū sen-
sa nunquā non penitissime confodiat. Inuenit, disponit
dialecticæ debet, ipsa enim quid quæque res, quid cuique.

2
cohærens, & quo ordine, pulcherrime distinctis filis no-
tat. Iam si Platonicos huc accire datur, quantus inter il-
los eminent Augustinus, qui dialexi ceu Mercurii alis, ita
Platonici uim animi excelsam uocant, humana superans
diuina proximus attigit. Non audio quosdam male feri-
atos homines, qui cum ἀγράμματοι καὶ ἀμουσοί, literas uul-
go iactitent, hoc habent primum ut à dialecticis q̄ longis-
sime absint. Age belle ridetur hæc tota fex, à Socrate,
non in Gorgia tantum & Lache, sed omnibus penè di-
sertationibus Platonis. Habet grammatica ut docte lo-
quaris, hæc ut uere, ut discriminatim, ut certum, ut solū-
dum, quod enthymemata, syllogismi, theses, finitio, par-
titio commodum exhibēt. Et sincera sunt, & firma quæ
in hanc aleam conueniunt, minimèq̄ fucata, Dædali sta-
tuas, quondam suspexit antiquitas, non de adscitia specie
ut Pausanias ait, sed ingenua quadam forma cui plane
ἐνύστατον hoc erat, admirādum referre ipso decore maiesta-
tem, & prope modum illud melioris seculi θεῖον. Fortas-
sis & de nostris dialecticis tale quiddā licebit, Scoticos
dico, aridi sunt ac ieiuni sermonem, fœcundi sensa, uerū
hæc alias. Omnino de ipso sciēdi amore dialectica inter
primores artium recenseri non temere solet. Quare ua-
leant ἀντίτεχνοι suis cōplicibus πῖστυν πάντ' ἐβουλεύεσθαι θεός
ut cum Euripide dicam, liberum est enim cuiq̄ aut bo-
nū esse aut malum. Vos qui philosophiæ nomen de-
distis adulescentes, qui boni esse, qui sapere dextre men-
ti, qui prodesse olim rei publicæ contenditis, in elementa

5
dialecticæ incumbite. Nullo pharmaco magis aut uege-
tum aut acre, nulla harmonia reddi potest ingenium ele-
gantius. Bias rogatus quid esset cuiq; inter prima dulce,
respondit, quid proprium. Est autem uel maxime pro-
pria homini ratiocinatio, *δύαλιξις*, contemplatio cuiusq;
diligens. Iam quaeso quid ea suauius? Varium poetae
Proteum fingunt omnium sibi rerum uultus formasq;
aptantem. Quo nimirum commento intelligentiæ no-
stre metamorphosin in omnes rerum species significat.
Discernit autem species rerum unica dialectica, perpe-
tua & inconcussa ueris scientia. Quam uellem hæc pluri-
bus agere liceret per horam, quo magis perspicue uobis
dialectica probaretur. Sat fuerit adiecisse. Neminem
à conditis literis unquam, ullo sapientum iudicio, inter
candidatos studiorum cuiusq; generis censum, huius ex-
pertem. Sed aurem Cynthius uellit oranti, & admonet
superesse rhetoricam. Quid uero illa? Pars dialecticæ
quosdam argumentorum locos populariter instruens.
Et de grammatica, Dialectica, Rhetorica, logicis artibus
tantum, chordæ illæ tres in chely symphonæ. Musarū
trium ludus. Polymneia, cui nomen est à memoria, lite-
ras habet. Euterpe dialecticam q; mira sciendi cupidine
rapiantur, qui in contemplatione degunt. Melpomene
forum demulcens, rhetoricam. Quæ rerum est cogni-
tio, pendet omnis è numeraria quam uocant Arithmeti-
cam. Si enim, ut uisum Platoni, aliqua rerū prima notio,
inserta est natura mentibus hominum, qua liceat uti uel

ad uniuersalium contemplationum principia agnoscen-
da καὶ τὰ πρῶτα καὶ τετάρτα ut doctus uir Epicurus uocat, uel adue-
stigandas singularium partes, quæso quæ est alia? quã
ordinis, quam numeri regula, qua uidetur in uno quoq;
quid primum, quid extremum, quid unum, quæ mul-
ta. Quæ ut non temere solent magistra ferula discier,
ita natura prius percepta tenemus. Zaratan aiunt, q̄s q̄s
ille fuit, Pythagoræ doctor, dixisse animam numero ma-
trem esse, uidelicet quo significaret congenitam nume-
randi scientiam animis mortalium, & licet de puerorum
rudibus ingeniis periculum facere, an non primum est?
quod scire uidentur numerus, par. impar luditur, item
cubus primus ac postremus. Quamobrem in erudien-
dis pueris à numero auspicandum censet Plato, quo ex-
cultis iis quæ natura insunt seminariis, recipi cætera prō-
ptius queant. Et Pythagoras omnem philosophandi ra-
tionem è natura mentis humanæ cognatoq; studio de-
riuant, principia philosophiæ numeros posuit. Tum,
qui præstiterè quondam sapientia magni uiri ἁειδέμεν
numerare pro philosophari dixerūt. Abenzoar, nosse
inquit omnia, qui sciat numerare. Et Neocli Plato que-
renti cur homo sapientissimum animal, respondit, quo-
niam numeros calleat. Iam quæ arcana uenati maiores
è pari ac impari, quæ sublimia ex uno. duobus, tribus,
quatuor, quinq; sex & septem, & rursus ex horum con-
gressibus dies defecerit explicare conantem. Accedunt

6.
ad numeros literæ, sortes, ænigmata, nomismata, & huiuscemodi non pauca commerciorum notæ. Nec est ut Syros aut phœnicas memorem uobis auctores numeri. Eadem generi hominum ratio idem hoc ubique præstat, ut signet, discernat, iudicet, quæ usuræ ueniunt è numeraria. Sequuntur eam ponderum ac magnitudinum mensuræ. planæ solidæque figuræ, æqua iniqua proportio, quæ fere capita Geometriæ sunt. Hinc admirandæ hominum generi machinæ ac ut Eudoxi, archytæ, Menæchmi, Archimedis, Boetii automata præteream, quantum Bombarda, nostrate inuentum, bellicis contulit. Addo plasticen, & quæ nascitur è perispectiuis, picturam, utrunque ciuitatum uel pulcherrimum ornamentum. Huius generis sunt cælandi, scalpenti artes, & inter eas Chalcographica, æræ germanorum scribendi formulæ. Hic artium nexus, hæc origo mechanicon è duabus principibus artibus Arithmetica & Geometria, hic usus est utriusque per tot manuaris operas. Quæ si ad animum transferas, Dii boni, quæ suauitas, quod nectar offunderetur contemplanti, immo quæ lux sese ex illo rerum chao aperiet. isthæc mentem sensilibus hærentem, auellit, seducitque ad intelligibilem æternamque naturam. Sic Plato ἀειδέμεν φιλοσοφῆσαι, & οὐδὲν αἰεὶ γεόμεσθαι commodum afficta nota

20
tione dixit. id est semper æthernam ueri naturam intel-
ligendo uersare. De Arithmetica Geometriaq; obiter.
In Colophone ac fastigio artiū Musica & Astronomia
locantur. Age quid Musica laudatius, elegantis ea har-
monia ratio, siue organicam, siue naturalē uelis. Insignis
utrāq; honore poematū, id quod alia sum acturus ora-
tione. Plæriscq; gratior Musica orbe artium aliarum, q̄
hæc ad contemplationem pariter moresq; conferunt.
Erigunt alię ad cœlestia mentes nostras, hæc una cœlo
superos ad humana deducit, quo argumento ueteres ar-
bitror musica signa passim deum statuis appēdisse, qua
si illis dii conciliati nobiscum uersentur. Cōfert moribus
q̄ nulla res familiarior tranquillandis animantiū affecti-
bus. Scitis de Orphei lyra quid? & quę Pythagoreę gē-
tis instituta fuerint. *ὡς αἰὲς ἔστι θεοῦ πρὸς λύραν.* ex ea factione
Clinia celebris uir, modestissime usus disciplina magis-
tri, quoties animo turbabatur, quacuncq; caussa statim
ad lyram properabat, rogatus aliquoties, quid hoc? ni-
hil respondit præter hæc uoculam *πρᾶν ομοῖα*. atq; hi sunt
proprie Musarum soni, qui ad honestam uitæ constitui-
onem, qui ad uirtutem pertinent, succedunt musicæ sal-
tatoriæ artes, Arcadum inuenta, sed longior est res q̄ a
nobis agi modo possit. Reliqua Cyclopædeię Astrono-
mia est, numeros, magnitudines, motus, harmanian. i. cō-
pagē superi ac inferi orbis dimēsa syderū effectiones ac
influxū cōplexa, medicinę parēs, fati cōscia, Arithmetica
Geometria, harmonica ancillariis disciplinis cōiter utit.

Λ.

Longius hanc quadrunii seriem duxissem, sed hora deficimus, agitque rem eam publicis scholis cottidie Iohannes Stoffer philosophus autoritate, fide, literisque mathematicum uenerabilis. At hæc quatuor artes, quatuor item in Lyra Mercurii chordulæ, suum quæque stridens, prima se Terpsichoræ debet, ordinis ac numeri artifici, habet enim à choris nomen dea, secunda Thaliæ quæ floreat ex culta *χομεΐδων* commodis uita. Musicam Erato iucunda regit affectio. Eminent inter socias clarissima in Homericæ Dianæ modum Vrania, principem astrorum scientiæ decora referens. Septem chordas numerari adulescentes audistis, nec discretæ Lyra uoces redduntur, plures quatuor, tres orationis funiculi communes quadruiuio. Quatuor aliæ chordæ rebus suis discrepant. Non confingo licenter hæc auditores, ut illi atticorum *κοροτάλαδοι* Platonis quæ ueteribus ratio sapiendi talis fuit, autore Plutarcho. Et de quaterno lyrae systemate quæ disputauit Terpandri sunt, ait ille.

*Ἡμεῖς γὰρ τετρακτῶν ἀπὸ τετρακτῶν ἀοιδῶν
ἐπὶ τὸν φῶρμιον νέεσμεν ἐδοξασμένον ὕμνον*

Septena iam forte chely noua carmina uatem
Quattuor & distincta modis panxisse iuuabit.

Iam neque quæ Mercurii sit lyra tenetis, quot chordæ, quot artes. Et musas artium præsides appellare sum solitus. Illæ uero quid? Congenitus hominum animis ardor & strenua sciendi cupido. Testis antiquissimus uates Orpheus, qui Musas hymno canens, inquit.

Πάσης παιδείης ἀρετῶν ἄμεινον
θρέψεται ψυχῆς, διανοίας ὀρθοδότηραι

Hoc est si ueneran-

dam Orphei maiestatem carmie licet nostro imitemur,

Munera uestra deæ uirtus & gloria uerax

Qualcūq; artes agit humanæ uis feruida mentis

Vos animi dulces etiam ueneramur alumnas:

Aethernum recti quibus inseuistis amorem.

Censæ artium numero Musæ septem, duæ super sunt,
Cleo & Calliope, quibus æquum in omnes literas ius,
historiæ Cleo, Calliopen poemati præficimus. Omnis
generis scripta usurpant historia & poema, nec alii maio-
ri fruge, operâ ue leguntur authores quam historici ac
poetæ. Adulescentes animos è uulgarium studiorū sor-
de euellunt, lococūq; referunt excelsio, iam uiris digna spi-
ranteis. De artibus hæctenus, quæ organa sunt, & qua
si quædam præludia magnæ illi diis genitæ sapientiæ,
quibus instructæ mentes hominum, dei numen coelis de-
missum excipere queant. Nec fas puto de illa plura com-
mentari, quisq; secum bonus uir anxie cogitet, quæ illa
γνησίη οὐλύμπιο, ut Callimachus ait. Ipsa est quæ in medio
artium choro. comunis omnibus desidit, omnium rer-
rum certa scientia. Sic Apollinem prudens antiquitas
in mediis Musis pinxit uniuersitatem omnem cithara
temperantem, ut est apud Orpheum.

Πάντα πόλον κίθαρη πολυκρέκτω.

Λεμόλι.

Capita artium, nomenq; τῆς σοφίας ut
licuit, breuissime attigi, non in hoc uersatus ut magnifice

laudarem. Egregie nobilis pictor Timæthes Cyclopem
 in tabula, uti ferunt, breuicula dormientem delineauit,
 eius cum esset magnitudinem expressurus iuxta satyros
 thyrso pollicem monstri dimetienteis fecit. Quo modo
 nos angustis ingeniis homines ingentia molimur, philo-
 sophiæ laudes, nec ferè nisi dormientis sapientiæ oras
 contingimus. Equidem cum temperarem mihi à laudi-
 bus, quas multi multas ineptissime effutire solent, hoc
 egi tantum ut quam honestæ res essent artes, quippe sa-
 cræ intelligeretis. Tum ut admonerem iuuentutem eas-
 dem Musas esse quas hodie uocant artes, proba ratio est
 cur uelim adulescentes hoc omnes rectissime norint. Pas-
 sim prostant Musæ in poematis, uitio indoctorum inter-
 pretum, qui rem multo dignâ studio negligunt, & quan-
 tum coniciio, iuuentæ operas uani distinent. Idem Mer-
 curius est pueri, qui animus nobis, *καὶ ἑτοῦς ἔστιν ὁ θεοφῶτος.*
 Eadem musæ, dein & eadem chordæ, quæ artes. Ani-
 mi cum habitu suo consonantia, lyræ harmonia. Iam
 quis est è uobis qui nō harum rerum honestate capiat?
 Cōueniebat fortasse ut inhortarer uos ad uirtutem, sed
 uestra iam sponte currentes. Agite exēpla uobis magno-
 rum hominum qui me circumsidunt capite, agite intenti
 spem patriæ longe pulcherrimam, ante oculos ipsumq;
 animi sensum ponite, quo nihil esse optandum uobis, ni-
 hil contendendum præter honestas literas, præter uirtu-
 tem cognoscatis. Nullis deliciis, nullo errore hominum
 regia uia excedite, nulla uos cupido auellat infamis à uir-

tute. Infamem adpello, quæ aliena sit à studiis literarum
atq; ab iis quibus addicti sacris omnes estis. Eleganter
admonet dialogo Lucianus, qui fluctus illi, abhorretes
à uirtute Musisq; eum quando Chaspar Currer bono-
rum studiorum amatissimus iuuenis latinum fecit, haud
grauatim referam. lucunda est fabula. Sic enim Venus
natum compellat. Quid o Cupido cæteros deos sube-
gisti omnes, Iouem, Neptunum, Apollinem, Iunonem,
matrēq; ipsam me. Sola uero abstines Pallade, ac aduer-
sum istam nulli facularum ignes, uacua telis pharetra, tu
deniq; inermis arcu pilisq; cares. CVP. Pertimesco
ipsam mater, horrenda enim est actorua aspectu, admo-
dumq; uirilis. Itaq; quoties intēto eam arcu iaculoq; pe-
to, concussa me galea excutit, exterrēt, cadūtq; manibus
continuo sagittæ. VEN. An non erat hac Mars formi-
dabilior, & hunc tamen armis spoliatum expugnasti.
CVP. Imo ille lubēs me recipit, inuitatq; Minerua ue-
ro obductis superciliis obseruat semper, Ad eam si quan-
do aduolauī temere, facibus aduolutis, ait ista. Per Iouē,
si me puer adortus fueris, te transsodiam, aut arreptum
pede in tartara coniciam, uel ipsa te dilanians discerpā.
Tum acribus contuetur oculis, & circum pectus gestat
imagunculam quandam, uiperis capillorum uice coma-
tam. Hanc uehementer equidem formido, perterret em̄
me, fugioq; quoties adspecto. VEN. At qui Miner-
uam quidem metuis, atq; huius gestamen gorgona? qui
Iouis fulmen non expauescas. Dein autem Musæ quor

nullis queunt ab te uulneribus confici, suntque quod auit,
 extra tela, num galeas & hæ incutiunt aut gorgonas ob
 iiciunt. CVP. Ipsas ego reuereor mater. Castæ sunt,
 & semper aliquid curæ molientes. continuo cantu occu
 patæ, Sæpe igitur adsum illis suauitate carminis delini
 tus. VEN. Sinito & illas que uenerandæ sint scilicet,
 Dianam quor non uulneras. CVP. In summa nequa
 quam possibile est adsequi eam, semper per montes fu
 giētem, quin illa suo quodam flagrat cupidine. VEN.
 Quo gnate. CVP. Venatu quidem ceruorum ac hin
 nulorum quos insectatur ut capiat, ac iaculo figat, ac
 prorsum tota rerum eiusmodi studio tenetur, tametsi
 fratrem eius iaculo potentem, ac eminus ferire soli
 tum. VEN. Scio gnate. sæpenumero arma ex
 pertum tua. Hæc fabula est, profutura mo
 ribus uestris si frequentem animo agitaue
 ritis. Sic enim hæ nugæ seriâ ducent.

DIXI.

F
I
N
I
S

Μνημόσυνης καὶ Ζηνὸς ἑλεγδούπωιο θυγατέρων
 Μοῦσαι πιεσίδεις μεγαλώνυμοι ἀγλαόφημοι
 Θνητοῖς οἶσκε παρῆτε προφύοταται πολύμορφοι
 Πάσης παιδείης ἀρετῆν γεννάσαι ἀμειπῆον
 Θρέψῃσαι ἑυχῆς, δαμοίας ὀρθοδοτῆραι
 καὶ γοῦ δίδωά ταισι κακοηπῆτῆραι ἀνάσσαι
 Λι τελετὰς θνητοῖσ' ἀεδείξατε μυστιπολύττοις
 κλειώ τ' ὑτέρπη τε. δαλφία τε μελπομένη τε
 Ἰόρτι χόρη τ' ἔρατώ τε πολύμνια τ' οὐρανίη τε
 Κωμῖόπη. ξὺν μῦθι κ' ἑδιδωάτη θεᾷ ἀγνῇ
 Ἀλλὰ μολῆτε θεᾷ μύσῃσιν πολυπόκιλοι ἀγναί
 Εὐκλῆσθ, ζῆλος τ' ἔρατόν πολύνυμον ἄρουσαι.

C In Musas Orphei hymnus.

Pierides Musæ, cæleberrima turba, tonantis
 Mente satę memori, quarum undicę noĩa clarent
 O suaues hominum genis, uotifę uocataę
 Supplicibus, uario præsentēs numine, adeste.
 Munera uestra deę uirtus & gloria uerax
 Quasę artes agit humanę uis feruida mentis
 Vos animi dulces etiam ueneramur alumnas
 Aethernum recti quibus inseuistis amorem
 Vestro animi uegetę seruantur munere uires

Vos operosa deum primæ solennia culta
 Fecistis tacito, sacrorum iusta docentes
 Cleiόq; Euterπέq; Thaleiόq; Melpomenέq;
 Terpsichorέq; Eratόq; Polymniόq; Vraniόq;
 Calliope, & tu magnipotens, castissima mater
 Laudem, uirtutis decus immortale fauete
 Multiplici ueneranda modo, pia numina uati.

Χάριτος ὁ Κερκελος αὐτῆς
 τῆς μου ἔτις.

Ex Charifio Thomæ Anselmi
 Mense Iulio.

1457708

10.

Nos opores habemus in seculum colere
 Fecisti tunc facerem illi domos
 Clodius tunc de J. habet M. p. p. p. p.
 T. p. p. p. p. p. p. p. p. p. p. p. p.
 Calliope & in magis p. p. p. p. p. p. p.
 L. p. p. p. p. p. p. p. p. p. p. p. p.
 Multipliciter tunc modo p. p. p. p. p. p.

T. p. p. p. p. p. p. p. p. p. p. p. p.
 T. p. p. p. p. p. p. p. p. p. p. p. p.

De Charito Thome Anselmi
 M. p. p. p. p. p. p. p. p. p. p. p. p.